



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 147. Gallorum res in Italia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

rum millia æstimatam, fuisse ablatam, Sæcul. XVI.  
A.C. 1502.  
relicta defuncti fratri nil nisi corpus ejus  
Mutinam transferendi cura, ubi etiam  
sepultus est. Ita nempe vindex Deus ad  
exercendam justitiam suam illius uteba-  
tur ministerio, qui mortui Cardinalis ini-  
quitatibus potissimam ansam dederat;  
cum enim Ferrarius Alexandro perca-  
rus esset, ab eo primariis dignitatibus,  
ac maxime quæstuosis Romanæ Curia  
officiis præficiebatur, demum etiam Mu-  
tinensi episcopatu ac Archiepiscopali Ca-  
puana Ecclesia donatus, tandem Pres-  
byter Cardinalis renunciatus est, mor-  
temque obiit sua vita dignam; cum enim  
suis injustitiis, ac insatiabili auri cupidi-  
tate in vita sua omnium invidiam in se  
concitasset (\*), etiam post mortem om-  
nes ejus memoriam ac nomen detesta-  
bantur.

## §. CXLVII.

*Gallorum res in Italia.*

Interea belli furor Hispanos inter & Gal- Marian. hist.  
Hisp. l. 27.  
Guicc. l. 5.  
los in Italia minime deseruit, illis  
non

D d 5

(\*) Ciaconius quidem testatur, Ferrarium,  
ex avaritia sibi in Aula maximam contraxisse  
invidiam, eumque multis displicuisse, addit  
tamen, quod eam ob rem indignationem etiam  
summi Pontificis incurrisset, hæreditas vero  
ipius delata fuerit in fiscum ipsius Cardinalis,  
non autem Pontificis.

Sæcul. XVI  
A.C. 1502.

non nisi paucas, easque omnes maritimas urbes adhuc dum tuentibus, unde aperto Marte decertare non ausi sunt, imo ipsemet Consalvus sub Baruli moenibus latebat, cum interea Galli victricibus armis totam circum regionem emetterentur, ac nihil propius esse videretur, quam ut totum Neapolis Regnum suo subjicerent imperio, nec tamen adeo firma erant hujus triumphus auspicia, quin exeunte hoc anno Gallorum res plurimum inclinare inciperent: cum enim opportunissimo tempore Hispanorum auxilia accurrerent, mox Consalvi spes, qui paulo ante arcte Baruli cingebatur, erigebantur, eidemque etiam nonnulli Mercatores Veneti, tam armorum, quam annonæ apparatus advehebant, carioris pretii spe allecti. Ea re comperta Neomofii Dux Ludovicum Regem desuper admonuit, quem graviter questum Veneti haud alio dignabantur responso, quam id inscia Republica factum fuisse. Altera ex parte Galli, quibus Moreti Comes imperabat, Villanovanæ urbis obsidionem antea coeptam solvere compellebantur, moxque Cardonius urbem ingressus, paulopost binas, easque validas militum suppetias obtinuit, quarum quævis ducentos lancearios, totidemque levis armaturæ equites, peditumque duo millia, veteranæ, ac diuturno armorum

morum usu exercitatissimæ militiæ viros recensēbat, quorum primo agmini præerat Benefides, alteri vero Andrada. Hispani jam viribus aucti, Gallisque in Calabria superiores, Albinum Marescalum castris exuere aggrediuntur, Callimeram urbem occupant, ac opima spolia, quæ in civitate corraferant, Seminariam transferre meditantur; ast Albinus in Terinensi agro transitum obsidente, in ipso Dominicæ Nativitatis die tanto impetu obruebantur, ut post pertinax utrinque certamen tandem Hispani in fugam acti fuerint, desideratis eorum mille, captisque mille trecentis, Galli vero quindecim vexilla in victoriæ signum auferebant, imo etiam, postquam omnes sarcinas Hispani amisissent, Albinus tota Callimeræ præda potitus est.

## §. CXLVIII.

*Adversa Nemofii Ducis fortuna.*

Ceterum Nemofii Dux Hispanos Baruli, ubi ipse Consalvus imperabat, arte inclusos tenebat; equidem Albinus urbem toto armorum apparatu obsidentem censebat, ut hoc pacto Hispanis omnis spes auxilii in Sicilia parati præcisa esset. Prætulit tamen Nemofius eorum opinionem, qui duntaxat aditum ad urbem intercludi existimabant; ea tamen